



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

66. Christus antè quàm Lazarum suscitet, Marthæ fidem exstimulat.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

AB ANNO XXX.

zarus amicus noster dormit ; sed vado ,
ut à somno excitem eum. Dixerunt ergo di-
scipuli ejus : Domine, si dormit, salvus erit.
Dixerat autem Iesus de morte ejus : illi au-
tem putaverunt, quia de dormitione somni
diceret. *Ioan. 11. v. 11. 12. 13.*

II. Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè:
Lazarus mortuus est : Gaudeo propter vos,
ut credatis, quoniam non eram ibi : sed ea-
mus ad eum. *Ioan. 11. v. 14. & 15.*

III. Venit itaque Iesus : & invenit eum
quatuor dies jam in monumento habentem.
Erat autem Bethania juxta Ierosolymam
quasi stadijs quindecim. *Ioan. 11. Vers. 17. &
18.* Multi autem ex Iudæis venerant ad
Martham & Mariam, ut consolarentur eas
de fratre suo. *Vers. 19.*

MEDITATIO LXVI.

*Christus antè quàm Lazarum suscitet,
Marthæ fidem exstimulat.*

I. **M**Artha ergo ut audivit, quia Iesus
venit, occurrit illi : Maria autem do-
mi sedebat. Dixit ergo Martha ad IESUM :
Domine, si fuisses hîc, frater meus nō fuisset
mortuus. Sed & nunc scio, quia quæcunq;
poposceris à Deo, dabit tibi Deus. *Ioan. 11.
v. 20. 21. 22.*

II. Di-

I I. Dicit illi Iesus : Resurget frater tuus. Dicit ei Martha : Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die. Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Et omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? *Ioan. 11. v. 23. 24. 25. 26.*

III. Ait illi: Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. *Ioan. 11. v. 27.*

MEDITATIO LXVII.

Maria soror Lazari Christum

accedit.

I. **E**T cùm hæc dixisset Martha, abiit, & vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. Illa ut audivit, surgit citò, & venit ad eum. Nondum enim venerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. *Ioan. 11. v. 28. 29. 30.*

II. Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cùm vidissent Mariam, quia citò surrexit, & exiit, secuti sunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. *Ioan. 11. v. 31.*

III. Maria ergo cùm venisset, ubi erat